

utile¹ huic aliquid annectens² breviter et modicum, per hoc ad dominum meum complens affectum.

De missa audienda, quam utile sit, invenietur in concordantiis doctorum beati Augustini et fere omnium, ut dicit Iacobus de Padua, doctor in sacra theologia, magister in medicina et in artibus licentiatusque in legibus, septem virtutes specialiter fore missae³: prima virtus est, si homo tantum spatium terrae, quantum, quo audiret missam, pertransire posset, vendens erogaret pauperibus et in puram elemosinam daret propter deum, non tanti meriti esset sicut missam audire cum devotione pro se vel suis, pro quibus tenetur et intendit audire; secunda virtus est, quando homo audit missam pro parente vel benefactore, illa hora missae hi non patiuntur in purgatorio; tertia virtus est, quod, si homo audiret missam hodie et cras etiam intendens pro peccatis suis missam audire iterum, peccata perpetrata ei ante mortem per confessionem remittuntur; quarta virtus est, quod post auditionem missae omnia, quae comederit vel biberit homo, post missam melius naturae conveniunt, quam si non audisset missam; quinta virtus est, quod homo audiendo missam illo tempore non senescit, id est quod in agone mortis vel ante mortem tempus vitae suae prolongatur, quantum est spatium missarum ab eo auditarum; sexta virtus est, quod missa est optima oratio, quae potest fieri in hoc mundo pro omni genere hominum et pro ecclesia communi, quod est oratio Christi et apitis (?). Septima virtus est, quod melior est una missa audita cum devotione ante mortem et in vita, quam mille post mortem. Haec magister Iacobus de Padua, ut scriptum inveni in collectario cuiusdam magni et devoti viri, et haud dubium, quin infinitae sint huius sacrosancti sacramenti virtutes, ut dicit beatus Augustinus (f. 248^v): 'Mare non abundat tot guttis nec sol tot splendoribus nec silva tot frondibus nec terra tot graminibus nec aer tot archanis, quot sacrosanctum sacramentum altaris abundat carismatibus et confert rite ac debite accedentibus atque devote audientibus'. Quibus bene consideratis bonus Christianus suum diligens profectum et salutem multum debet laborare et se disponere ad saepe accedendum ad sacrosanctum misterium altaris, et si non potest per se, instet ad minus missam

1) 'quam utile' scheint aus dem Anfang des folgenden Abschnittes hier falsch eingesetzt zu sein, zu streichen. 2) 'annectam' zu lesen. 3) Vgl. hierzu: Franz, A., Die Messe im deutschen Mittelalter, Freiburg 1902, S. 42.